



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

8 Argvm. Prioris S. Pavli Ad Thessalonicenses Epistolæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

EPISTOLA PAVLI AD

Cæterum non prædicarat ipse Colossensibus euangelium, opera Epaphræ uel Archippi in Christum crediderant. Videtur sane illius permotus precibus hanc scripsisse ex carcere & per Tychicum misisse ab urbe, tum furtassis cum & Ephesijs & Philemoni scribetur: & coniectura est Philippensem epistolam ab his non longo interuallo esse editam.

Ipsa uero epistola multis nominibus commendatissima nobis esse debet. Nam ut breui compendio totam fidem Christianæ summam comprehendit, ita instrutissima est, argumentis ualidissimis compacta, demonstrationibus euidentibus, perspicuitate clara, & rerum sublimitate grauis. Et stilus rei grauitatem & sublimitatem sequitur.

Iam uero ne illud nescias Colosse Colossalium dicitur, quemadmodum Athenæ Athenarum. De ipsis lege Vadiani nostri Epitomen. Plinium item in lib. 6. cap. 31. & lib. 31. cap. 2. Strabonem quoq; in Geog. lib. 10.

8 ARGVM. PRIORIS S. PAVLI AD THESSALONICEN= SES EPISTOLAE.

THESSALONICAM, quæ Macedonia erat metropolis, ueniens Apostolus Christi religionem inter

inter iudeorum insanientium insidias atq; turbas uerbi dei studiosis non multis tradidit diebus. Oborta enim turba commotoq; populo et magistratu Thessalonicensium, fratres Paulo consultum uolentes, hunc unā cum Sila nocte intempesta emiserunt. At hi Berrhœam profecti sunt, sed ex hac electus Athenas proficiscitur Paulus, hucq; Silam atq; Timotheum uocat qui Berrhœæ interim hæserant. Interea satanas nullum non mouens lapidem quo herbescente euangelij segetem apud ThessalonICENSES proculcaret, grauiſſimam in membris suis persecutionē contra ueritatis cultores excitat. Hic uero Paulus misere metuens ne teneri in fide ad aquitam deficerent superstitionē, semel atq; iterum statuit opem ferre periclitantibus: uerum cum adeo sœuiret persecutionis procella ut neq; tutum neq; utile esset insanis turbarum fluctibus sese ingerere, tandem Timotheum, quem non usq; adeo grauis aduersariorum premebat iniuria, mittit ut pro nomine Christi patientes confirmaret. Timotheus Thessalonicam itaq; profectus in fracto animo, uerum confitentes reperit ThessalonICENSES, redit ergo Athenas, ex Paulo qui hic interim resederat, mirans istorum prædicat constantiam. Hæc autem transcripsimus nos cx 17. Acto. capite, et ex huius epistole 3. cap.

Vbi uero Paulus audisset in ista acri pugna uicisse ueritatem ac sanctos in fide semel accepta perficitissime,

I S

EPISTOLA PAVLI

hasce ab Athenis scribit literas quibus laudat illorum fidem. Laudem uero hanc ita attemperat, ut simul adhortetur Thessalonicenses, porro constantes esse pergent. Atq; huc quoq; pertinet narratio cap. 2. de ingressu suo ad Thessalonicenses, item expositio cap. 3. de legatione Timothei. Atq; hæc quidem altera pars est huius epistolæ. Posterior circa institutionem uersatur. Admonet enim ut caueant sibi ab immunditia, & uite puritate deum colant, ut caueant sibi ab iniuria & circumscriptione fratrum, seruant autem his per charitatem, ut mortuos non lugeant luctu immoderato & Christianis indecoro. Vbi de fide resurrectionis, de extremo die, de uigilia Christianorū, deq; rebus alijs opido sacris & utilibus differit.

Videtur autē hæc epistola ante alias omnes esse scripta. Utilitate certe & præstantia alijs nihil cedit. In hac enim egregij & necessarij loci tractantur. Dictio autem Paulinum pectus omnino refert. Est enim facilis, accommoda rebus, & ubiq; maiestatem referens apostolicam.

ARGUMENTVM POSTERIORIS S. PAVLI AD THESSALONICENSES EPIST.

APPÄ